

Dissertatio inauguralis medica de prognosi Hippocratis, quod febris solvat apoplexiam ... / respondens Daniel Christianus Langhammer.

Contributors

Langhammer, Daniel Christian.
Juncker, Johann, 1679-1759.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joannis Christiani Hilligeri, [1734]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vjmazdpb>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

PROGNOSI HIPPOCRATIS,

QUOD

FEBRIS SOLVAT APOPLEXIAM

QUAM.

ADNUENTE NUMINE DIVINO

ATQUE AUCTORITATE

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

DN. D. JOANNE JUNCKERO

PROFESSORE MED. PVBL. ORDINARIO,

PATRONO ET PRÆCEPTORE SVO OMNI PIETATIS

CULTV VENERANDO,

PRO GRADV DOCTORIS

HORIS LOCOQUE CONSVETIS

Ad d. April. Anno MDCCXXXIV.

PUBLICÆ ET PLACIDÆ ERVDITORVM VENTILATIONI SVBIICIET


RESPONDENS

DANIEL CHRISTIANVS LANGHAMMER,

FESTENBERGA • SILESIVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.





PROOEMIUM.



Rauem & aphoristicam scribendi rationem, quam libris suis constanter seruauit *Hippocrates*, eruditorum multi ita admirantur, vt arti nostræ magnum splendorem accessurum putent, si hæc diuina, vt celebrant, scripta pro fidei quasi articulis haberentur, & ad eorum normam omnes, qui faciunt medicinam, curationes suas instituerent. Cum vero idem succincte scribendi genus obscuritatem fere inexplicabilem inuoluere ac nobilissima proinde ingenia a corporis Hippocratici lectione deterrere soleat: tum amplissimum laudis campum illi intrasse iudicantur, qui vel in *toto Hippocrate* interpretando vel in quibusdam illius libris

libris explicandis multum temporis & laboris impenderunt. Sicut enim hos fontes putant limpidissimos & agris saluberrimos esse : ita principis huius dogmata ex ignorantiae tenebris eum in finem reuocare student , vt agrorum salus tanto liberius & liberalius ex iis hauriri possit. Verum enim vero licet animum illis debeamus gratissimum , qui ingenii sui aciem ad hoc studium applicarunt : vsus tamen , qui exinde redundat therapeuticus , longe inferior est insigni illo labore , quem in confuso hoc opere disponendo & explicando consumserunt. Aëuo enim Hippocratico rei medicæ caligines tantæ fuerunt , vt , quid quid conciliando & explicando agamus , venerandum tamen hunc senem a pluribus erroribus liberare non possimus. Cumque nostra ætate medicina faciem longe clariorem præbeat , & tam iucundæ lucis sit , vt antiquorum obscuritates & ænigmata operosius explicare non indigeamus : tum etiam Herculeus ille labor , quem in exponendo *Hippocrate* infumserunt , hodie quidem vilescit ; saltem in magistri huius verba nemo facile iurabit. Interea tamen moris est & consuetudinis , vt , in casibus præcipue dubiis vel non adeo liquidis , ad principis huius iudicium confugiamus , & , quan-
tum

tum possumus, positiones nostras illius auctoritate ac elogio confirmemus. Vnde vitio nobis versurum speramus neminem, si ad thema nostrum, de quo dubie & raro auctores exponunt, quodam modo illustrandum *Hippocratem* quoque consulamus. Quemadmodum enim hoc dissertationis argumentum, *quod scilicet febres secundariae bono non numquam omine apoplexia & paralyssi superueniant*, non est curiosæ speculationis, sed practicæ omnino utilitatis: sic hac in re *Hippocratis* sententiam audire & prognosin illius conferre licebit. Dicit autem *coacis prænotionibus sentent. 479. In apoplecticis si febris accedat, solutio contingit.* Quod adsertum a quibusdam adeo impugnatum est, ut *Duretus* dicere non dubitet, *hanc prognosin non esse Hippocraticæ veritatis.* Quare operæ pretium putamus, in hanc rem curatius inquirere, &, quid therapeutici usus adferat, hac dissertatione demonstrare. Faxit Deus, ut hunc scopum feliciter attingamus!



SECTIO I.
DE
APOPLEXIÆ ET PARALYSEOS
EXPOSITIONE.

§. I.

Differtationis nostræ argumentum natura quasi sua tres facit sectiones. Cum enim animus noster sit demonstrare, quem in morbis apoplecticis & paralyticis usum febris secundaria adferre possit: tum necesse est, vt primum de *morbo curando*, nempe de *apoplexia* & *paralyssi* exponamus, deinde de *remedio*, scilicet de *febre secundaria* dicamus, denique cautiones quasdam practicas subiungamus.

§. II.

Igitur quod ad primum membrum, nempe *morbum curandum* attinet, vocatur ille *apoplexia*, cum qua merito coniungimus *paralyssin* & *hemiplexiam*, quia sub eodem morborum genere comprehenduntur. Non fert autem instituti nostri ratio, hosce morbos complete hic pertractare, sed sufficient ea, quæ ad scopum nostrum primario conducunt. Vbi ante omnia notare conuenit, quod *formalis* horum morborum ratio *defectum motuum vitalium* inuoluat, & motus tam *tonicus* quam *progressiuis*, differente tamen gradu, negligatur.

§. III.

§. III.

Ea autem intercedit differentia, vt in *apoplexia* quidem motuum defectus sit *uniuersalis*, in *paralyfi* vero & *hemiplexia* tantum *particularis*. Et licet paralytici quidam reperiantur, quibus omnes corporis partes ita solutæ & relaxatæ sunt, vt non nisi titubando & temulenti instar vacillando ambulare possint: leuior tamen hæc & uniuersalis quasi paralytica constitutio non accedit ad gradum apoplexiæ. Vnde *apoplexia* recte describitur, quod sit præceps abolitio sensus ac motus per uniuersum corpus, vbi ægrotantes minimo temporis momento vertiginosi redduntur, ac in terram prolapsi sine motu & sensu iacent. *Paralyfis* inuoluit quidem etiam repentinam toni vitalis remissionem, sed in aliqua tantum *parte*, in qua sensus & motus pro differente gradu auferuntur. Eiusdem indolis est quoque *hemiplexia*, quæ latus siue dextrum siue sinistrum occupat.

§. IV.

Quælibet harum specierum suos habet *gradus*, personarum & causarum differentię innitentes. Sic apoplexia datur *leuior*, vbi pulsus cordis paullulum adhuc sentitur & facultas quædam mouendi relicta est, in *grauiore* autem illius *gradu* omnis motus & sensus cessat. Eadem ratione *paralyfis* & *hemiplexia* modo *leniore*, modo *grauiore* gradu occurrunt. Interea hæc graduum differentia ita non est accipienda & interpretanda, ac si mutuis a specie mitiore ad grauiorem valeret successus. Frequentior enim est transitus apoplexiæ in paralyfin, quam quidem paralyseos in apoplexiam.

§. V.

§. V.

Sicut autem *formalem* horum morborum rationem *motuum vitalium defectum* esse diximus: ita de hac re adhuc monendum est, quod eiusmodi defectus præcipue in *tono* accusandus sit. Quod enim ad pulsum attinet, ille non tantum in paralyfi & hemiplexia sed etiam in leuiore apoplexia quodam modo manet. Interim tonus cum pulsu adeo conspirat, ut vnius defectus alteri facile præiudicium adferat. Unde pulsus seu circulatio sanguinis omnino in tonicis defectibus tam paralyticis quam apoplecticis detrimentum patitur, imo in grauiore casu prorsus cessat.

§. VI.

A *Causa formali* progredimur ad *causam materialem*, in qua dextre diiudicanda discretione omnino & circumspectione multum indigemus. Cum enim per vulgus notissimum sit, morbos illos, qui motuum defectibus innituntur, longe rariores esse illis, in quibus eorum exacerbatio obseruatur: tum communes & vulgatæ materialium causæ non sufficiunt ad mala adeo graua & rariores producenda & explicanda.

§. VII.

Statuunt practici passim causas *antecedentes* quam plurimas dari, quæ postea causam proximam & *immediatam* inferant, ac non solum influxum spirituum animalium per principium spinalis medullæ impediunt, sed & massæ sanguinæ viam versus cerebrum denegent. Hinc in medium proferunt causas partim veras partim fictas, quæ singulæ quidem nominandæ, sed lectoris diiudicationi relinquendæ sunt. Huc pertinent humo-
rum

rum visciditates & glutinositates, poros cerebri ac nervorum obstruentes, quæ tandem principium spinalis medullæ comprimant, & varias remoras inferant. *Vid. WUCHERERI diff. de apoplexiâ §. 6.*

§. VIII.

Præcipue autem sanguinis in venis ac arteriis stagnationem, coagulationem, extrauasionem hic nominant variisque casibus id confirmant. Notissimum enim est, quod sanguinis vel feri circa plexum choroideum extrauasio pro causa *continente & proxima* in apoplexiâ accusetur. Neque negari possunt exempla, quæ testantur apoplexiam aliquando secutam fuisse urinæ retentionem, podagram translata, hæmorrhoides impeditas, scabiem retropulsam, hæmorrhagiam narium non succedentem, aut penitus suppressam; Quemadmodum mensium retentio & suppressio in sexu sequiori, & difficilis dentitio in infantibus veram inducere non nunquam possunt apoplexiam.

§. IX.

Præter has recensitas antecedentes materiales causas etiam aliæ grauissimo huic malo ansam præbere possunt, & quamuis in se spectatæ insufficientes videantur: tamen experientia teste ad illud disponunt. Sic *dispositionem hereditariam* & certis familiis quasi propriam in primis obseruare decet, cui subiungendæ sunt aliæ causæ *morales*, v. g. subito exorta iracundia & animi excandescencia; terror ingens; grauis tristitia vel e iactura amicorum vel bonorum fortunæ, & inde secuta pauperie ortum trahens. Porro causæ *materiales procausæ* sunt frequens ebrietas; abusus veneris; nimia

fanguinis profusio ; abscessus cerebri ; depletiones sanguinis consuetæ neglectæ ; sudores cohibiti ; capitis contusiones ; vlcera inueterata vel sponte vel arte consolidata ; grauiores vulnerationes ; alapæ fortiter inflictæ ; multæ vigiliæ ; vapores narcotici ; abusus nicotianæ ; aliæque plures, quæ abusu rerum non naturalium nituntur, a quarum tamen vberiore enumeratione consulto iam abstinemus.

§. X.

Quamuis autem enumeratas causas materiales partim, partim morales vltra concedamus : inpetrare tamen a nobis non possumus, vt iisdem *solis* tam fonticum effectum, veluti apoplexia est, tribuamus. In multorum enim corporibus hæ vel illæ causæ materiales sunt frequentes, apoplexia autem, paralyfis & hemiplexia per quam raro occurrunt. Vnde ex hisce materialibus rebus, quascumque nominare velimus, nulla earum per se graue hoc malum prouocare valet, sed altior sane causa ante omnia in censum hic venire debet. Videlicet talis causa, quæ in statu quidem ordinato ordinatos motus, in statu autem morbofo motus pro materiæ conditione plerumque augere, non numquam vero abiicere obseruatur. Cumque eiusmodi principium sapiens & motus ad rationalem finem dirigens in corpore nostro aliud non detur, nisi anima rationalis : tum illam pro *causa efficiente* declarare nulli dubitamus. Nam periculosam constitutionem in corpore vere coortam dum illa perspicit, aut falso ita iudicatam sibi præfiguratur, simulque vel verum periculum auersatur, vel ad fictum trepidat, motus & actus vitales

les suspendit, & verius desperabunda tergiuersione, inops quasi consilii auxiliique, plane omittit. Numquam ergo causa materialis sola apoplexiam & paralyfin induceret, nisi a causa efficiente motus omitterentur, & sic sensus exercitium aboleretur.

§. XI.

Sicut autem ex hisce considerationibus illucescit, quantum causis materialibus tribuendum sit: ita distincte magis nunc erit declarandum, quonam modo occasionem ad veram apoplexiam certis sub circumstantiis subinde porrigere valeant. Dum enim quaedam harum causarum vrget, tum ordinarie ob imminentis vel veri vel ficti periculi præposteram æstimationem, aut organorum præternaturalem constitutionem & humorum dyscrasiam secretiones languide, impeditæ & nusquam sufficienter succedunt, vnde necessariarum quoque excretionum decens progressus & exitus sufflamminatur & pæne cessat. Quo factò principium agens ex peruersa æstimatione & desperabunda magis trepidatione vitales motus negligenter prosequitur, immo nec, vti decet, adgreditur. Vnde humorum lentus progressus, partium atonia, sanguinis stagnatio, veræ corruptelæ & machinæ præceps corruptio. Quæ omnia dum principium agens perspicit, consternatur, trepidat, & vrgentem corruptionem auersans motus plane omittit.

§. XII.

In adcumulandis signis & prognosibus prolixi esse non possumus, quoniam systematicam apoplexiæ & paralyseos tractationem breuiori hoc scripto tradere non est animus. Suffecerit nobis in præsentis ostendere

quod secundum *Hippocratis* effatum febris, in vno alteroue subiecto apoplexiæ superueniens, omnino salutaris sit.

SECTIO II.

DE

REMEDIO APOPLEXIÆ, SEV FEBRIS INDOLE.

§. I.

VT practicam hanc ab *Hippocrate* prolatam veritatem perspicue intelligamus, paucis inculcandum erit, quod febris sit principii vitalis conamen, quo motibus se & excretoriis, auctioribus quidem, sed in salutarem finem institutis, corpus a variis noxis materialibus liberare intendit.

§. II.

Et olim visum est, & nunc quibusdam videtur adfertum paradoxum, quod febris apoplexiam soluere atque morbus morbum curare debeat aut possit. Nec mirum. Quibus enim febris grauis morbus audit, qui ex se suaque natura actiones lædat & nulla agentis intentione nulloque instinctu cieatur, ancipitique euentu administratur, illi non possunt non cum *Dureto* aliisque consentientibus de huius theses veritate serio dubitare.

§. III.

Sed res plana erit & extra omne dubium posita, si modo in hoc casu data illud non negemus opera, quod alibi lubenter concedere haud veremur. In statu enim
natu-

naturali quantum vitales motus valeant, & quam salutare sint omnibus, physiologiæ canones inculcant. Motibus enim corporis absolvitur nutritio: motuum ministerio purum ab impuro secernitur, & quod inutile ac molestum est expurgatur & eliminatur; immo quod omnes largiuntur, iis rite succedentibus, corporis sanitas obtinetur & conseruatur.

§. IV.

Cum ergo motus in statu naturali omnes medici & iure quidem suspiciant, in statu præternaturali non minoris erunt æstimandi. Conuincit eos, qui hac de re ambigunt, ipsa quotidiana experientia, Motus enim febriles, qui sub quotidiana, tertianæ aut quartanæ typo se exserunt, præmature turbare, per adstringentia suppressere, aut opio aliisque narcoticorum armis oppugnare, quilibet cordatus medicus sibi ducet religioni: quare? quia vtilis, quia salutare esse nouit, nec sine ingenti sanitatis detrimento suppressi eos posse iudicat. In acutis, vbi exanthemata retenta aut subito retrocedentia summum periculum minantur, ibi motus, quos omnis schola medica admodum veneratur, optamus, efflagitamus. In paralyti desiderantur motus; in hemiplexia maxime in votis habemus motus; & apoplexia motus & sensus exercitio restituto profligari potest.

§. V.

Quod! si iam principium vitale ad se rediens post apoplexiam febrim excitet, ordinarios motus, quantum satis est auget, quosque intermisit & ferme omisit, strenue iterum resuscitet & prosequatur, quis eos necessarios ac salutare negauerit?

§. VI.

§. VI.

Quibus monitis facile perspiciemus, qua tandem ratione febris appoplexiæ superueniens subinde graue hoc malum tolerare possit. E §. V. Sect. I. notum est, to formale illorum morborum, quod paralyseos, hemiplexiæ ac apoplexiæ nomine practici exprimunt, in motuum vitalium defectu consistere; cuius defectus pessimos effectus illico obseruare licet, materiam nempe, ob motus aliquamdiu omissos, stagnantem, & massam humorum, quia secretiones interruptæ aut neglectæ sunt, grauantem; inquinantem. Si vero febris accedit, hoc est, si bono omine & optima naturæ intentione motus vitales ex peruersa æstimatione (§. X. Sect. I.) omissi vegete reassumuntur, tum interdum materiæ stagnantes resoluuntur, & quod superfluum impurum, noxium est, eliminatur, ac proinde imminens machinæ interitus auertitur. Vt adeo tali in casu natura re vera *februa* seu actus expurgatorios celebrare, dici possit.

§. VII.

Qui vero fiat, vt febris raro apoplexia superueniat, imo si etiam accesserit, eam non semper soluat & e mortis periculo liberet, ex supra dictis cognoscitur. Rarius apoplexiæ superuenire febrem experientia docet; neque rationem, cur hoc ita accidat, inuenire, adeo erit difficile. Plerosque enim breui admodum temporis interuallo terribile hoc malum interimit, ita vt alii subito nimis, alii intra paucas horas aut intra etiam biduum animam expirent; paucissimi vero liberentur, vel si factum id videatur, sine paralyseos aut hemiplexiæ

reliquiis, novos appoplexiæ insultus minantibus, diu haud superuivunt.

§. VIII.

Quod iam ad priores attinet, in illis, quia sensuum & motuum abolitio pertinaciter durat, & totalem desertionem & motuum conseruatoriorum cessationem inuoluit, nulla plane spes superest, fore, vt agens, id quod ex summa consternatione & trepidatione omisit, iterum alacriter adsumat, & salutare febris motus excitet.

§. IX.

In aliis autem, quos post apoplexiam paralyfis aut hemiplexia adfligit, non minus imminet periculum. Licet enim paralyfis & hemiplexia particularem magis motus ac sensus abolitionem interant & mala ipsa apoplexia quodam modo leuiora sint: tamen periculum in eo est, quod agens principium in ciendis motibus vitalibus, & quidem in omnibus partibus æqualiter, debito suo officio satisfacere detrectet: vnde semper metus vrget, naturam ex inproviso iterum, leuissima quaque occasione arrepta, ab omnibus motibus prorsus cessaturam; quod etiam fieri assolet.

§. X.

Quod autem febris, etiamsi accesserit apoplexiæ, eandem non semper ex voto rollat, suis nititur caussis. Dum enim ob caussam aliquam materiales motus aliquamdiu maximam partem, vel tantum in vna alteraue corporis regione a natura, de felici euentu dubitante, omittuntur, partes illico flacceseunt, humores sublato tonico renifu, irrumpunt, stagnant, spissescunt & extra motum positi veras corruptelas subeunt. In his atten-

nuandis

nuandis & resoluendis multum operis a natura requiritur, malum quippe non nisi assiduis & constantibus motuum progressibus corrigi auertique potest.

§. XI.

Hunc vero finem, si natura per febrem non semper obtinet, indicium est, quod vis motuum, in salutarem quidem finem malo oppositorum, ipso malo fuerit inferior, neque illud, prout natura intendebat, ob magnitudinem superare valuerit. Quibus probe intellectis palam est, ægrotos tunc non perire febris culpa, aut ex febre, sed in, cum & sub febre, ad mortem eos comitante. *Conf. STAHLIUS de febre per se nunquam lethifera §. 3. seq.*

§. XII.

Vbi vero in oborta apoplexia caussa non tam *materialis*, quam *moralis* magis adcusanda venit. & lebris superueniens nihilominus eam non soluit, ibi nequam materia, sed sola auersionis & desperabundi metus pertinacia, motuum omissionem post se trahens, funesti euentus caussa est.

§. XIII.

Ceterum disquirunt practici, vnde nam febris apoplexiæ accedens veniat? Hi quidem e cerebro; illi e visceribus, alii vero e corde illam arcessere non dubitant. *Vid. JOVBERTI Decad. II. paradox. IV. de sede febrium.* Sed non opus est, vt hanc vel illam corporis regionem tamquam febris officinam aut latibulum nobis concipiamus. Qui enim norunt, quod motus in corpore omnes motorem quemdam rationalem, ceu causam efficientem, pro fundamento habeant, vel nobis tacentibus agno-

agnoscent, quod febris §. XII. descripta minime instar corporis cuiusdam materialis in hoc vel illo machinæ nostræ angulo latitet, sed quod motuum vitalium, aliquamdiu desideratorum, ex singulari agentis deliberatione noua sit reassumptio & postliminio facta continuatio, qua natura se se recolligens & ad vltériorem corporis sui conseruationem excitans, imminens vitæ periculum declinare, & quantum fieri poterit, damnum iam iam perpeffum resarcire contendit.

§. XIV.

Denique quæri adhuc posset, cuius indolis esse debeat febris, quæ apoplexiam soluere soleat. Quam quidem quæstionem facili negotio expedire licebit, si indolem apoplexiæ, aut, si mauis, eius gradus considerauerimus. Mitior enim apoplexiæ gradus solui potest intermittente: grauior contra impetus, quo magis motuum vitalium exercitium interturbavit & sufflaminauit, eo vegetiorem motuum reassumptionem ferio & constanter prosequendam sibi postulat. Et hoc præstare solet natura motibus febrilibus auctioribus & acutæ indolis; quibus id, quod motuum omissione temeratum est, vicissim emendare satagit.

§. XV.

Igitur & *intermittens* & *acuta* prodesse possunt. *Lenta* vero, quia motibus lentis agit, & læsionem insuper circa viscus aliquod hærentem pro causa agnoscit, in desiderata apoplexiæ solutione per quam raro spem implet eique satis facit, quod etiam *Hippocrates* animaduertit, qui diserte scribit: quod apoplexia repente corripiens

piens periculum minetur, si febris, solutionem alias promittens, *diutius trahat*, vel typum lentæ obseruet.
Conf. Coac. prænot. tit. 480.

SECTIO III.

DE

MEDICI OFFICIO CAVTE HIC PRÆSTANDO.

§. I.

Argumenti prægressis sectionibus traditi brevis quidem sed cum cura suscepta pertractatio *a priori* abunde commonstat, quod motus febrilis immo vera & iustum typum seruans febris, siue intermittens illa fuerit, siue ex acutarum familia deriuata, si apoplexiæ superuenerit, graue hoc malum prospero euentu soluere omnino *possit*: quemadmodum *a posteriori* suffragante experientia nec non *Hippocratis* & recentiorum obseruatione confirmatum est, quod etiam soluere subinde ex voto *soleat*.

§. II.

Interim æquo iudicio, quæ hac de re dicta sunt, ab aliis accepta & intellecta volumus. Minime enim nos fugit, quod non omnis febris apoplexiæ & paralyfi accedens, alterutram horum malorum funditus semper tollat. Aliud sæpe intendit natura; & longe aliud interdum obtinet. Si enim in aliis febribus acutis,
 vbi

vbi motus nondum defecerunt, exoptatus finis ille, quem agens principium in superanda & eliminanda materia sibi proposuit, non semper obtinetur, quid mirum? si motus semel abiecti & cum aliqua tergiuersatione & titubante quasi consilio administrati idem non præstent, quod necessitas in eiicienda materia alias sibi postulat.

§. III.

Recensione hanc ob rem dignus est casus recens de viro quinquaginta, & quod excurrit, annos nato; is paralytica adffictione correptus, maius metuebat periculum. Sed paulo post auspicato superuenit febris, quæ quouis die duos paroxysmos format, sub quorum inuasionem, primo horripilatio ægrotum occupat, quam deinde æstus & sudor excipit cum euphoria, ita, vt subiectum patiens melius se habeat & adfectorum membrorum vsu in dies pleniori gaudeat.

§. IV.

Scenam hanc motuum, quam febris in dicto viro aperuit, natura in quintam vsque hebdomadem iam protraxit; quod obseruatu valde dignum est. Nam quamuis quotidianæ duplicis schema feruet: tamen quia in alterum iam mensem durat, lentam ferme æmulari videtur.

§. V.

Eius modi phænomena & motuum vicissitudines, vbi post notabilem eorum defectum iidem vegete iterum reassumuntur, sæpius obseruare licet: idque non tantum in malis vere paralyticis, hemiplecticis & leuioribus

ribus apoplecticis, sed etiam in paralytodeis, spuris & præcipue purpuratis, in quibus sub motibus febrilibus, post plures hebdomades purpura tandem rubra erumpere & adflictiones enumeratas superare & autocratice eas curare obseruatur.

§. VI.

Hic in amplissimum quidem differendi & practicas cautelas subministrandi deducimur campum. Verum scripti academici arctiores limites vberiore tractationem non concedunt, sed breuiore nos esse iubent. Interea tamen clarissime elucescit, admodum esse non modo vtile sed & necessarium, vt practicus rationalis quiuis, cui salus proximi cordi est, motus tam excedentes, quam deficientes prudenter ac circumspecte æstimet, neque salutarem naturæ intentionem in periculosis moliminibus reputet.

§. VII.

Inculcari hæc res eo magis meretur, quo sæpius toto, quod aiunt, die contra bonum naturæ propositum a pluribus practicis contra nitentibus peccari animaduertimus; & quidem ex sola incuria, aut verius ignorantia, qua veram motuum auctiorum indolem & principii agentis sub eorum administratione intentionem præteruident, & in generis humani perniciem ad artis leges secure delinquant.

§. VIII.

Ante omnia in hoc motuum negotio probe tenendum & iterato imprimendum est, quod materia numquam

quam motus excitet, nec excitare vlllo modo possit, vtpote, qui ab altiori principio, nempe vitali seu anima omnium in corpore motuum præside & auctore originem vnice ducunt,

§. IX.

Hoc itaque principium motus suscipit, languentes excitat, & excitatos pro necessitatis aliarumque circumstantiarum ratione auget & intendit, *propter* materiam corpori & sanitati noxiam, quam his motuum armis potenter subigere & prorsus eliminare adlaborat. Et quo contumacior hostis materialis deprehenditur, eo operosius & intentius motibus suis contra eundem plerumque natura dimicat. Si vero natura sub tantis conatibus sine suo non potiat, sed spe frustrata aliquamdiu in cassum labore, desperabunda motus iam abiicit, iam reassumit; vt adeo in statu extraordinario & morbofo duo motuum extrema ab vno eodemque deriuanda sint principio.

§. X.

Si iam praxin sæculorum, quæ præterlapsa sunt, & quæ nostro æuo passim adhuc obtinet, attentius consideremus, magnos abusus & graues aberrationes, in ægrorum detrimentum & vltimum exitium, sæpius commissas obseruare licebit. Multi enim artifices quia motus, in statu præternaturali obtingentes, & corporis repurgationem finaliter respicientes, atque huius causa a natura excitatos, plerumque dolorum incommodis stipatos animo aduerterunt, & ægri insuper querelis se flecti passi sunt, in id præpostere incubuerunt, vt mo-

tus tales, aliquantum molestos, licet vtilēs ac salutares, quantocyus directe & immediate sifterent, cohiberent ac infelici ausu supprimerent.

§. XI.

Quanta vero pericula inde contracta. & quantæ etiam cædes docta manu patratæ sint, terra, artificum delicta tegens, omnino filet, sed nihilo tamen minus multa alia exempla eandem clamant perniciem. Perpendamus quælo fontica illa damna, quibus adfici solent complures, qui febribus intermittētib; laborantes fidei practīcorum se committunt, secundum tamen naturæ intentionem nequaquam curantur, sed in quibus salutares motus febriles temerarie supprimuntur, cum sanitatis & vitæ iactura numquam reparabili.

§. XII.

Quam molesta & dolorum seu potius cruciatuum plena sit podagræ afflictio & chiragræ carnificina, etiam vulgus nouit. In his leuamen, & si secundum cuiusuis commode electam viuendi rationem fieri facile posset, perfectam mali exstirpationem attentat medicus, anhelant ægri. Quoniam vero ambo cito & iucunde malum hoc curatum gestiunt, motus hosce debite æstimare & ex agentis intentione diiudicare nesciunt, efficaciter quidem, sed minus tuto repellunt; hos autem conatus accelerata mors sæpe excipit & mouendi finem ad omnium stuporem facit.

§. XIII.

Longum foret improbos & periculosos inperitorum
rum

rum aufus pluribus hic enarrare. Tantum enim in acutis & melancholia hypochondriaca exacerbata nocent, quantum solent in podagræ malo & intermittentibus. In illis quando agrypniam obseruant, quæ motus febriles adtenuatorios, resolutorios, depuratorios, & in malo hypochondriaco, ob inpeditum humorum per venam portæ progressum, transpressorios comitari solet, totum curationis cardinem in tranquillo somno versari, ieiune satis coniciunt. Hinc hypnotica arripiunt & vigilias opiatis infringere non dubitant, effectu uti satis prompto, ita & longe funestissimo. Nam somnum tam profundum ægro conciliant, ut euigilandi potentia priuatus in perpetuum dormiat, nec, quæ ratione e molli lecto in sepulcri specum delatus sit, vilo modo cognoscat.

§. XIV.

Ita infeliciter euenit ante quosdam annos hic loci, studioso cuidam theologiæ, cui in melancholia & mali hypochondriaci exacerbatione rudis empiricus, clandestino & nefario ausu, medico & adstrantibus insciis, soporiferum propinauit, quia ægrum aliquot noctes insomnes duxisse audiuerat. Sed proh dolor! motus ita compescuit, ut post lethargum, in quem ægrotus incidit, mors presso pede sequeretur, pessimi consilii pessimus exitus & magistratum animaduersione dignus.

§. XV.

Ergo subsumet aliquis, tolerandos esse effrenes motus, qualescumque illi fuerint, nec quidquam licitum

citum operari medico? Verum enim vero hoc ipsum nostris cautelis nullo modo intendimus, vt artifex motus quosuis promiscue, tanquam otiosus spectator, furerè permittat. Nouimus enim vehementes motus, & in primis motus tonici exacerbationes, quales in spasmis & conuulsionibus occurrere solent, non adeo esse vtilis. Interim tamen omnis intentio & medici auxilium eo collineare debet, vt non tam motuum simpliciter, quam materiæ ante omnia expellendæ, ob quam motus auetiores contingunt, præcipuam habeat rationem. Sic ob motuum vehementiam motus tantummodo suppressere velle, materiam autem emouendam non attingere neque mobilem eandem reddere, plus quam empiricam redolet inscitiam.

§. XVI.

Quia porro subinde accidit, vt causæ etiam morales seu animi pathemata, vti supra *Sect. I.* iam indicatum est, nullæ interueniente materiali, eiusmodi motuum extrema producat, quæri non immerito posset, quid rebus ita se habentibus medico agendum incumbat, vt suo officio satis faciat? Vbi ante, quam ad quæsitum directe respondeamus, hoc monendum esse ducimus: quod nimirum directa & immediata motuum medicina hic magis, quam quidem in aliis casibus, in quibus materia peccans manifesto animaduertitur, valere & locum inuenire possit; nihilo tamen secius necesse est, vt probe attendat neque securus nimis sit, quia, licet ante motuum extrema nullam materiam peccantem adfuisse constiterit: tamen sub his ipsis motuum

tuum anomaliis quædam generari solet. Siue enim defecerint, siue vehementius & ad exacerbationem vsque aucti fuerint vitales motus, salutare se- & excretiones impediri adeoque impuritates colligi potuisse, practicis ignotum esse nequit.

§. XVII.

His probe inculcatis ad quæstionem respondimus: fatius videlicet esse, vt medicus in motuum extremis ab animi commotionibus productis & vbi nulla peccans materia aperte nota adculanda est, primum agat *remotive*, hoc est, secretiones & excretiones moderate promoueat; deinde *positiue* ipsis motibus, alterutra ratione ab ordinario tramite deflectentibus, subueniat, eosque vel temperet, vel vero placide excitet, & quouis modo methodo rationali & naturæ intentionem æmulente, ad officium eam reuocet.

§. XVIII.

At si motus a principio agente seu anima rationali vel augentur, vel intermittuntur, quo modo animam in motuum excitatione curare possumus? & quomodo materia seu medicamentum excitans spiritum ad reassumendos motus excitare valebit? quis erit mutui contactus modus? quæ operandi ratio?

§. XIX.

Ardua satis est quæstio; sed ob difficiliorem intelligendi rationem, quo præcise modo medicamentum
D
animam

animam ad motus omiffos iterum continuandos adliciat & quasi exstimulet, ipsam veritatem in dubium vocare, aut prorsus negare, minime licet. Etenim omnes, qui quælibet in iis motuum extremis phænomena iustius confiderant, facile concedent, a materia motum prouenire non posse; si vero non a materia, a spiritu prouenire certum est. Recte igitur in motuum defectu animam ad mouendi officium excitari posse & debere dicimus, vtut fiendi modum accurate explicare non valeamus.

§. XX.

Non habent profecto, quod hic reprehendant alii: assertum enim hoc neque nouum neque paradoxum est. Opinione antiquius esse, ipse sacer codex probat: Differte enim dicit *David Psalmo 104. 15 vinum exhilarare hominis cor, & panem illud roborare*: quid autem *ro* exhilarare cor sibi velit, superfluum esset multis explicare velle. Enimuero nec aqua nec vinum materiam exhilarare valet; spiritum autem citra controuersiam. Cor quippe phrasi scripturæ idem denotat ac animam seu partem hominis principem. Profecto per vulgus notum est, quod vel vnicus generosi vini haustus animum longe citius exhilaret & excitare soleat, quam ad corporis physicum vsum impendi possit.

§. XXI.

Loquitur hanc veritatem quotidiana praxis & experientia. Famelici enim, ieiunia siue sponte siue coacte

Et celebrantes, peregrinantes item, aliique quorum vires sub multis defatigationibus consumptæ sunt, sumto cibo & potu tam efficaciter reficiuntur, vt reuiuiscere sibi met videantur ipsis; in primis si ad palatum fuerit ferculum. Notabile huius rei exemplum præbuit olim *Jonathan* regius princeps, qui inter bellicos labores defatiscens, post modicum mellis syluestris esum, nimium quantum refocillatus & noua quasi oculorum acie donatus sistitur. Vid. *lib. 1. Sam. XIV. 26-29.*

§. XXII.

Et quid tandem sibi volunt tot balsamorum apoplecticorum compositiones? quid spiritus suscitantes, vrinosi, volatiles & gratissimi odoris remedia, si anima iisdem ad faciendum mouendi munus excitari non possent? Nisi hoc fieret, frustra traderemus in therapia doctrinam *de motuum excitatione*. Inanis esset porro tot analepticorum roborantium suaueolentium & interdum graueolentium oblatio; quod tamen non facile adfirmauerit attentus practicus.

§. XXIII.

Certe enim hæc res per tot Medicorum, observationes adeo manifesta est, vt non nulli, qui celerem excitandi modum physice explicare laborarunt, *occultas vias*, per quas subtilissima alimentorum pars citissime sanguinem intrare possit, supponere & in medium proferre ausi sint. *Conf. Nenteri physiologia cap. de digestionem.* Sed quis nescit, quod vel solus cibi præsentis visus iucundos motus in esuriente excitare soleat.

§. XXIV.

§. XXIV.

Vnde paucis repetimus: quod motuum deficientium excitatio potissimum respiciat & adficiat animam nostram, quodque moralia remedia physicis longe hic sint præferenda. Quando autem ipsa natura febriles motus apoplexiæ & paralyfi opponit: tum Medici officium est, vt illos pro beneficio habeat, minime autem duplicem afflictionem accuset. Quare necesse est, cum hisce naturæ motibus cooperari, & per congruentia remedia non *antifebrilia*, vt vulgo audiunt, sed sano sensu feбри amica & fœderata materiæ peccantis remotionem promouere.

F I N I S.

